



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 33. Emerici Comitis Töckelii pacta cum Turcarum Imperatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. cam Anglorum Theologicam, disserta-
 A. C. 1683. tiones de osculis, & de Judæ ingenio
 præter Epiphylides sacras. VII. Ægi-
 dius Strauchius vulgavit Breviarium
 Chronologicum, Repetitum consensum
 fidei Lutheranae, tractatum de ænig-
 mate Samsonis, de ritibus flagellandi
 apud Judæos, de cultu Christi, de an-
 no Hæbreorum Ecclesiastico pluraque
 alia: continuavit etiam Sleidanum de
 quatuor summis Imperiis.

§. XXXIII.

*Emerici Comitis Töckelii pacta cum
 Turcarum Imperatore.*

*Wagner
 Hist. Leop.
 l. 8. p. 575.*

Annus hujus sæculi octogesimus ter-
 tius magna rerum vicissitudine cla-
 rus, initio Christianæ Reipublicæ ad-
 modum funestus fluxerat, dein tamen
 præter expectationem exitum longe
 lætissimum habuit: quantumvis enim
 Leopoldus Imperator Saponaram Le-
 gatum suum iterato cum amplissimis
 conditionibus ad Töckelium Comitem
 decrevisset, & seditiosos Protestantes
 indultis potissimam partem eorum po-
 stulatis demulcere nifus esset, nihilo-
 minus idem Töckelius Turcarum subfi-
 dio tumidus incredibili arrogantia tam
 duras præscripsit leges, ut sub pacis ve-
 lamine belli incendium eo acrius in-
 flare

flare videretur: nec his contentus, die Sæc. XVII.
A. C. 1683.
decima tertia Januarii Hungariæ Superioris Procerum comitia Cassoviam indixit, ubi præfente Achmetis Sultani Legato belli in Cæsarem moti causas exponens, sibi tanquam Hungariæ Principi homagium exsolvi jussit: demum multa de Religionis libertatisque excidio, & Turcici jugi suavitate ac de Germani Imperii tyrannide perorans, Regni dedendi condiciones, quas proprio chirographo ac sigillo munitas Sultanus nuper præscripserat, congregatis Proceribus exposuit, a singulis signandas. Erant autem hæc I. Töckelius, quamprimum Sultano fidem jurasset, tributarius Hungariæ Rex agnoscat, ejusque Oratores more Regiorum Legatorum iisdem honoribus habeantur, eo autem mortuo Regina ejusque bona ob fidem Ottomanis præstitam Turcarum patrocinio salva sint. II. Hungaris post Tökeli suarumque prolium mortem pro arbitrio Regem eligere integrum sit. III. Tributum Turcis promissum non augeatur, omnia autem Hungarorum jura & privilegia penitus salva maneant, & a Turcis contra eorum hostes valide defendantur. IV. Turcæ cum Germanis inconsulto Töckelio nunquam pacem ineant. V. Nec ex captis Ungariæ Urbibus quicquam

Hist. Eccles. Tom. LXV. M reti-

Sæc. XVII. retineant. VI. Pacem Sandi Gothardiani quoad articulos, qui Hungaros spectant, inviolata fide fervent. VII. Jesuitæ omnes, utpote pacis publicæ perturbatores e Regno expellantur, nec ullo tempore rursus recipiantur, quique illos revocari ad laboraverint, a Sultano severe castigentur. VIII. Vis nemini inferatur, & Hungari sua religione, moribus, legibusque vivant. Firmatis utrinque hisce pactis Töckelius viginti Ducatorum millia Turcici Senatus Ministris dono submitit, plerimum vero Procerum, qui in comitiis comparere, ejusque consiliis obsequi recusabant, bona, non minus quam Cæsaris ditiones in Superiore Hungaria sitas violatis induciarum pactis aërio suo addixit, promulgatoque edicto omnibus Ecclesiasticis præcepit, ut intra viginti quatuor horarum angustias sua Tempia Protestantibus cederent, ipsique Regno exularent.

§. XXXIV.

*Bellicus Leopoldi Cæsaris apparatus
contra Turcas & rebelles
Hungaros.*

Han Panon. Enimvero non modo Saponara, sed
nov. p. 524. etiam Esterhasius Regni Palatinus,
Hode vie de aliique Amici & familiares Töckelium
Louis XIV. a tam
lib.